



Commentarii Tres in Universam Aristotelis Philosophiam

Commentarius Tertius In Libros De Coelo; De Generatione Et Corruptione;
De Anima; Et Metaphysicam Aristotelis

Crespin, François

Brvxellæ, 1652

Dubium I. Quid sit; & quomodo fiat Intensio & Remissio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95375](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95375)

indivisibili qualitatis, & idem à contrario de calore dicendum.

XL I. Respondeo ex dictis supra, non dari ultimum indivisibile caloris; sed id caloris, quod in passum ultimò introducitur, esse partem formaliter divisibilem in multa minima (quæ à nobis determinari non possunt) caloris naturaliter indivisibilia, ut clarè sequitur ex Disputat. præced. Dub. 3^o. Resolut. primâ, ad cuius præsentiam cedit etiam pars frigoris naturaliter simili modo

divisibilis; nam sicut agentia extensivè talem partem producant instantaneè, sive totam simul, ita & intensivè, ut constat ex dictis loco citato. Ex his

XLII. Collige omnia liquida & homogenea non viventia in statu separationis à viventibus, si illis aliquando conjuncta fuerint (idem est de qualitatibus homogeneis) secundum statum præsentem non habere terminum intrinsecum magnitudinis.

DISPUTATIO OCTAVA

De Intensione & Remissione Qualitatis.

D V B I V M I.

Quid sit, & quomodo fiat Intensio & Remissio.

R E S O L U T I O I.

I. **D**ico 1^o. Intensio est additio gradus; ad gradum ejusdem qualitatis in eadem parte subjecti. Remissio verò est subtractio gradus à gradu ejusdem qualitatis in eadem parte subjecti, differunt ab extensione majori & minori, quòd hæc fiant in diversis partibus subjecti, illæ in eadem.

II. Dari hanc intensiorem & remissionem, sensuum experientiâ comprobatur; nam igni adstantes sentimus calorem augeri, absentes minui, in eadem parte manus: item in meridie in eadem parte aeris majorem lucem, quàm sub vesperam: unde præsens difficultas non est, an detur; sed de modo, quo fiat: Pro quo fit

R E S O L U T I O II.

Rejiciuntur sententiæ minus probabiles, prima Agidii Romani Quodlibeto secundo question. 14^a.

III. **D**ico 2^o, qualitates non solum intenduntur quasi per accidens, per majorem expulsiorem, vel remotionem contrarii à subjecto.

IV. Probatur 1^o, quia nullæ qualitates, quæ carent contrario intenduntur, ut lux, sonus, &c. item gratia & charitas quatenus in iustis; alioqui sequeretur omnes iustos esse æqualiter gratos, habere æqualem charitatem, &c. quia omnes æquè carent peccato mortali contrario; id autem non admittitur.

V. Probatur 2^o. Gratia habitualis, quantumvis remissa, peccatum totum contrarium expellit, ac removet, & postmodum intenditur absque eo, quòd magis expellatur peccatum; nisi velit magis posse expelli, quàm totaliter, & in rebus, quæ deficiunt totaliter, admittere magis & minus, quod est ridiculum.

VI. Probatur 3^o. Potest esse major expulsio & remotio contrarii, & non esse intensio, ut, si Deus frigus in aqua remittit, & calorem introduci, non sinat, ergo, &c.

VII. Probatur 4^o. Potest esse intensio & ma-

nere totum contrarium; ut si ad præsentiam contrarii, Deus aliud contrarium supernaturaliter conservet, ergo, &c.

VIII. Probatur 5^o. In majori remotione & expulsionem contrarii à subjecto, adjicitur gradus ad gradum contrariæ formæ succedentis, ergo & deijcitur gradus à gradu formæ recedentis, ergo, &c.

IX. Prob. 6^o. Quando in aqua producitur remissus calor, perit totum frigus aquæ simul, vel pars illius tantum? si primum, ergo remissus calor est summè intensus; quia contrarium tunc est totaliter expulsum & remotum: si secundum, ergo intenditur per partes, sicut frigus perit per partes; ergo qualitates, non solum intenduntur quasi per accidens per majorem expulsiorem, &c.

X. Obicies, Aristoteles 5^o. Physic. textu 29^o docet majorem & minorem intensiorem & remissionem fieri per majorem & minorem admixtionem contrarii, ergo, &c.

XI. Respondeo Aristotelem solum velle, illam fieri per majorem & minorem admixtionem contrarii ex dejectione gradus à gradu formæ antiquæ, & adjectione gradus ad gradum formæ novæ, ut docebitur infra: unde nego consequentiam, quia id vult per suam sententiam vitare impugnatus Author.

secunda Avicennæ, Durandæ, Godofridi.

Quos citat Suarez in Metaphysica Disputat. 5^a sect. 2^a.

XII. **D**ico 3^o, qualitates non ita intenduntur, ut prior remissa tota corrumpatur; & tota nova perfectior producat.

XIII. Probat P. Arriaga 10; quia vel illa qualitas perfectior esset ejusdem speciei cum præcedente, vel non? si non; ergo per eam non fieret intensio: si sit ejusdem speciei, ergo tam calidum erit subjectum per unam qualitatem, quàm per aliam; quod tamen aperte falsum est.

XIV. Verum hæc ultima consequentia optimè ab adversariis negari potest, dicendo illam qualitatem perfectiorem reddere subjectum calidius; quia eminenter plures gradus solo numero distinctos in se continet; sicut enim qualitas formaliter intensiva ex quatuor gradibus solo numero distinctis, est ejusdem speciei cum qualitate formaliter intensiva ex tribus gradibus solo numero distinctis; ita qualitas eminenter intensiva, ex quatuor gradibus solo

solo numero distinctis, est ejusdem speciei cum qualitate eminenter intensa ex tribus gradibus solo numero distinctis.

xv. Probat 2^o P. Oviædus efficacissimè, ut loquitur: si intensio fieret per adventum qualitatis perfectioris, destructa remissa; remissio fieret per productionem remissioris, intensa corrupta, quod fieri non posse facile probatur, inquit, cum aqua agenti frigido circumdata in pristinam frigiditatem restituitur, calor successivè remittitur (ut experientia ostendit) sed non est à quo producatur calor remissus, ergo, &c. hocque argumentum etiam asserit Pater Arriaga tamquam meliorem suæ conclusionis probationem. Verùm hæc probatio fortis quidem est in nostra sententia, in qua docemus calorem seipsum conservare; minimè verò in sententia Oviædi, Arriagæ, & aliorum; quia illis respondebit Durandus calorem illum remissum produci ab eo, à quo intensior conservabatur; si enim potuerit intensiorem conservare, potuit remissorem loco ejus producere; idem dicendum etiam erit, ubi habitus vitii per actus virtutis remittetur, quidquid dixerit Arriaga habere majorem vim in habitu vitioso. Opponit se P. Comptonus, Deus non producit quidquam ut author naturæ, nisi ad exigentiam causarum secundarum, quæ hîc non est: Sed frustra opponit se; quia dicent ad hominem, sicut Deus per te res conservat ut author naturæ præter exigentiam causarum secundarum, uti lib. 2^o. Physic. disputat. 6. Dub. 3^o. vidimus, ita hîc qualitatem illam producit.

xvi. Probat 1^o, habitus supernaturales, & ex consequenti etiam naturales (si positivi dentur) intenduntur per suos actus, ergo remanent, qui prius fuerunt, utpote causæ illorum actuum quando intenduntur: ergo, &c.

xvii. Probat 2^o, omnis qualitas vel corrumpitur per se, id est, à contrario? vel per accidens? id est, defectu subjecti, vel defectu causæ conservantis? sed in intensione nullo ex dictis modis qualitas remissior corrumpitur, ergo, &c.

xviii. Probat 3^o minor pro prima parte, quia vel qualitas intensa non habet contrarium, vel licet habeat, causa intendens est ejusdem rationis cum qualitate remissiori; unde ejus conservationi potius, quam ejus corruptioni inservit: Probatur secunda pars, quia manet subjectum idem, quod sicut servit productioni perfectioris, ita servit conservationi remissioris, potius quam illius corruptioni.

xix. Probat 4^o pro tertia parte, quia causa conservans plerumque est illa ipsa, quæ perfectiorem producit; unde, si hanc producat, non est cur illam corrumpat.

xx. Nec dicas cum Arriaga, illam per accidens corrumpere, sicut potentia generativa destruit formam embryonis, quam conservabat, ut perfectiorem producat; est enim disparitas, quod calor remissior & intensior sint ejusdem speciei, ac proinde compatibles; forma verò embryonis (si detur animarum successio, de quo in Libris de Anima) & perfectior succedens sunt diversæ speciei, ac proinde incompatibiles; Adde tamen verisimilius esse non dari istarum animarum successionem in vivente, de quo in Libris de Anima, ut dixi.

xxi. Confirmatur, non est verisimile ad productionem caloris ut unum in aqua perire octo gradus frigoris, quod fieret, ut patet, ergo, &c. Probatur major; quia alioqui non est cur produceretur calor ut unum tantum, & non ut octo, quandoquidem frigus ut octo recederet, sed non producitur ut octo (ut experimur,) ergo, &c.

xxii. Objicies tamen, in omni motu non potest acquiri terminus ad quem, nisi pereat terminus à quo; sed terminus à quo morus, quo fit intensio, est qualitas remissa, & terminus ad quem, intensa de novo producta; ergo destruitur prior remissa ad productionem perfectioris intensæ.

xxiii. Respondeo, transeat major, (quia tantum vera est, ubi terminus ad quem importat recessum à termino à quo; non verò accessum & additionem uti hîc) distinguendo minorem; sed terminus à quo, &c. est qualitas remissa quatenus est tot gradus præcisè secundum se, nego minorem; quatenus est tot gradus non uniti superaddendis, concedo minorem: unde similiter distinguo consequens, ergo destruitur prior remissa, quatenus est tot gradus præcisè secundum se, nego consequentiam; quatenus est tot gradus non uniti superaddendis, concedo consequentiam; nam de non unitis fiunt uniti, & qualitas, quæ quatenus secundum tot gradus non unitos superaddendis est remissa, ut unita superadditis fit intensa.

Tertia Thomistarum omnium residuorum, Cajetani, Capreoli, Henrici, nostrorum Complut. Ioannis à S. Thomæ, & plurimorum aliorum ab eis citatorum.

xxiv. Dico 4^o qualitates non intenduntur per hoc, quod eadem indivisibiles in se permanentes in eodem subjecto magis radicentur, perfectius educantur, inhæreant, uniantur, &c. licet reipsa nihil omnino qualitatis producat de novo.

xxv. Probat 1^o, quia non nisi per modos obscurissimos & intelligibiles explicant suam majorem radicationem, perfectiorem educationem, &c. nosclare intensionem nostram explicamus, ut infra patebit, ergo, &c.

xxvi. Probat 2^o antecedens pro prima parte, illa major radicatio, perfectior educatio, unio, &c. terminatur ad eandem indivisibilem qualitatem secundum eandem entitatem realem spectatam; vel secundum diversas formalitates & potentialitates virtualiter objective ab ea distinctas, vel secundum modum aliquem ab ea realiter distinctum, & illi realiter superadditum? sed nihil horum dici potest, ergo, &c. Probatur major, quia intentio ac per consequens major illa radicatio, debet esse motus positivus; qui necessarius ad aliquid positivum terminari debet, ergo, &c.

xxvii. Probat 3^o minor pro 1^a parte: frustra ad illam qualitatem indivisibilem spectatam secundum eandem entitatem realem terminaretur; nam ita superfluum, putant, idem produci per duas actiones totales, ac per consequens idem radicari, educi, uniri, &c. per duas radicationes, educationes, uniones, &c. totales, ut nequidem divinitus, id fieri posse asserant; deinde terminetur ad illam; non tamen faciet propterea qualitatem intensio-

rem, sed magis unitam, magis radicatum, &c. quia qualitatem esse intensiorem sensu experimur; radicationem verò, eductionem, &c. nullus sensu experitur, aut discernit à creatione supernaturali extra omne subiectum: unde tantum gratiæ erit in puero recens baptizato, quantum in Sanctorum hominum sanctissimo, sed minus unionis, radicationis, &c. dumtaxat, quod non velim asserere, cum augmentum veræ gratiæ & gloriæ, supra primam, Trident. sess. 6. Can. 32. agnoscat, & non tantum augmentum unionis. Denique, cum novæ radicationes, eductiones, uniones, &c. quæ faciunt formam intensiorem, sint ejusdem rationis cum prima, utpote ex eodem subiecto & ad eandem indivisibilem formam, debent necessariò esse in eodem subiecto, in quo est prima; sed ne admittant in eodem subiecto plures formas ejusdem rationis ad hanc intensiorem explicationem refugiant; ergo, &c.

xxviii. Probatur minor pro secunda parte; quia, præterquam quòd illud fundetur in sententia admittente præcisiones objectivas, & proinde omnes hujus difficultates involvat, terminus radicationis, eductionis, unionis, &c. debet esse ens realiter existens ante animam; illæ autem virtualitates & potentialitates, non nisi ut idem realiter cum prima qualitate, existunt ante animam: unde minor pro hac parte rejicitur, uti pro prima. Deinde si qualitas posset secundum diversas sui virtualitates & potentialitates, terminare diversas radicationes, eductiones, uniones, &c. posset & materia secundum diversas sui virtualitates & potentialitates recipere diversas formas substantiales totales, quod similiter negant; ergo, &c.

xxix. Probatur minor pro tertia parte: quia, sicut qualitas non est qualitas per modum superadditum, ita nec est intensio qualitas per modum superadditum; vel enim in intensione albedinis, modus ille, qui superadditur est albedo, vel non? si primum, ergo albedo intenditur per partes & gradus, & in intensione non permanet eadem indivisibilis, quæ ante, ut volunt: si non, sicut præcisus ab albedine non faceret subiectum album; ita nec illi superadditus facit subiectum magis album, quàm ante: deinde, cum superintenditur albedo, vel novus modus ejusdem secum rationis superadditur, vel hic perit, & perfectior producit? non hoc, quia id sufficienter contra Avicennam & Durandum statim rejectum est: neque etiam illud, quia id refugiant, ut statim vidimus, in eoque nobiscum convenirent, quòd ille modus intenderetur additione partis ad partem, & idem dicendum foret de ipsa qualitate, ergo, &c.

xxx. Adde multò minus intensiorem fieri per mutationem existentie, qualitate integrâ permanente; quia, præterquam quòd existentia non distinguatur realiter ab essentia actuali, contra hanc existentiam fieri possunt omnia argumenta, quæ contra radicationem, eductionem, unionem, &c. fieri possunt, ergo, &c.

xxxi. Confirmantur primò hæc omnia: si uno ex prædictis modis fieret intensio, non est ratio cur quælibet forma substantialis, imò & anima rationalis intendi non posset, sed negant, etiam divinitus, id fieri posse, ergo, &c.

xxxii. Confirmantur secundò, qualitas intensio

est activior remissio; sed sicut non est activa per unum ex illis modis, sed per suam entitatem; ita nec est activior, ac per consequens intensio, uno ex illis modis.

xxxiii. De mente Divi Thomæ non satis constat, ut fatetur Cajetanus, favet enim nobis 2. 2. quæst. 24. art. 4. ad 3^{um} docens eos propriam vocem ignorare, qui dicunt qualitatem intendi per majorem radicationem, & non secundum essentiam; si verò alibi aliter loquatur, ex diverso fundamento procedit, scilicet individuationis & distinctionis formæ à subiecto, quod falsum putamus, & non ex propria Divi Thomæ sententia dictum, ut ostendimus in Metaphysica.

RESOLUTIO V.

Stabilitur nostra Sententia.

xxxiv. **D**ico 5^o post sanctum Bonaventuram, Gabrielem, Gregorium, Okamum, Scotum, Vasquez, Suarez, & alios de Societate communissimè, &c. qualitates intenduntur per additionem gradus ad gradum præexistentem in eadem parte subiecti; remittuntur verò è contra, per deductionem gradus à gradu remanente in eadem parte subiecti. Sed ante probationem,

xxxv. Nota in entitate intensiva qualitatis varias esse partes; aliæ enim sunt graduales; aliæ gradus; gradus numerantur ordinariè octo à Philosophis, ut sic commodius intensiōis natura explicetur, graduales sunt istorum graduum partes; & si proportionales, in quolibet gradu sunt infinitæ. Hoc notato,

xxxvi. Prob. Resol. 1^o, refutationibus aliarum sententiarum, & objectionum contra hanc solutionem.

xxxvii. Probatur 2^o, intensio est verum augmentum, sed augmentum qualitatis intelligi non potest sine additione novæ partis qualitatis; aliàs non esset qualitatis, sed alterius augmentum, ut patet: ergo, &c. Probatur major; quia extensio est verum augmentum quoad aliam partem subiecti: ergo intensio est etiam verum augmentum quoad eandem partem subiecti, consequentia tenet à simili.

xxxviii. Probatur 3^o, in intensione augetur virtus intrinseca qualitatis; ac proinde fit magis activa, ergo illi additur aliquid activum ejus, cuius est activa; sed id non potest esse nova radicatione, nova eductio, nova unio, &c. quia hæc non sunt alterius qualitatis similis activæ, ergo, &c.

xxxix. Probatur quartò, ab aurora usque ad meridiem videmus lumen aëris semper intendi, sed nihil videmus aliud, quàm lumen, ergo lumen intenditur, per partes plures & plures in eadem parte subiecti additas.

xl. Obijcies ex Aristotele 4^o Physic. textu 84^o. *ex calido fit magis calidum, nullo facto de novo calido*; ergo non producit novus gradus caloris, quando fit intensio caloris.

xli. Respondeo Aristotelem solum velle, magis calidum fieri nullo facto de novo extensive calido; ac proinde, quando fit intensio, novum gradum caloris in alia parte subiecti non produci; non vult autem magis calidum fieri nullo intensive

renfirè factò de novo calido; ac proinde, quando fit intensio, novum gradum caloris in eadem parte subjecti produci, quod docemus.

D V B I V M II.

an gradus qualitatis intense sint homogenei, an heterogenei.

XLII. A Nte Resolutionem

Suppono gradus homogeneos dici illos, qui sunt omnino similes, seu ejusdem rationis; heterogeneos verò illos, qui dissimiles seu diversæ rationis: Mendoza, & Murcia putant esse heterogeneos & diversæ rationis specificæ: Suarez verò esse quidem ejusdem speciei, differre tamen differentia entitativà, ita scilicet, ut primus gradus sit imperfectissimus; secundus paulò perfectior, & ita usque ad octavum, iis tamen manentibus semper intra eandem differentiam specificam: Scotus verò & plures alii (quos sequemur) omnes esse homogeneos probabilius censent. Pro quo fit

R E S O L U T I O.

XLIII. D Ico, omnes gradus qualitatis intense sunt homogenei.

XLIV. Probant nonnulli primò, & nominatim Pater Poncius, Arriaga, &c. quia si gradus qualitatis intense essent heterogenei, primus esset superfluous præsentè secundo, & secundus præsentè tertio; quia primi in secundo; secundi in tertio, tota perfectio contineretur, & aliquid amplius. Sed

XLV. Contra Responderi potest 1º, primum gradum esse necessariam dispositionem ad secundum ex natura rei; 2º illum tam esse de essentia qualitatis intense ut duo, quàm secundum gradum; 3º juvare ad celeriores & intensiores actionem secundi: 4º sicut calor adhuc est utilis in præsentia ignis, licet tota ipsius perfectio in igne contineatur: ita & primus gradus, licet, &c.

XLVI. Probant secundo, quia sequitur ex opposita sententia, justum plus mereri actu uno remisso; quàm alio charitatis intensissimo; sed hoc est absurdum, ergo, &c. Probatur major, justus per actum charitatis intensissimum sit meritis v. g. sex gradus gratiæ, per secundum valde remissum sit meritis unum tantum, sed septimum; plus fuerit meritis actu remisso, quàm intensissimo; quia septimus gradus est perfectior sex aliis.

XLVII. Contra tamen Responderi potest meritum non solum attendi per ordinem ad opus; sed etiam per ordinem ad gratiam, à qua procedit opus: unde, cum à gratia valde intensa, possit procedere actus charitatis valde remissus Physicè, & è contra, à gratia valde remissa actus charitatis Physicè intensissimus (nam gratia non est principium Physicum operis, sed moraliter tantum significans) mirum non est, si quandoque contingat justum per actum charitatis remissum plus mereri, quàm per intensissimum, idque etiam nos admittere debemus.

XLVIII. Respondet P. Oviedus dici posse septimum gradum gratiæ esse quidem perfectiorem Physicè, non tamen moraliter in ratione meriti:

item septimum gradum visionis beatificæ esse quidem perfectiorem Physicè; non tamen moraliter in ratione beatitudinis; quia omnes sunt æquales, & eadem ratione objectum attingentes, æqualique claritate; sed hæc Responsio videtur mihi difficilis; quia non apparet quomodo gratia aliter, quàm secundum esse Physicum sit principium meriti, ac proinde etiam non apparet, quomodo gratia perfectior Physicè, non sit moraliter perfectior in ratione meriti; idem est de visione beatifica; illa enim secundum esse Physicum est beatitudo nostra, ergo quò Physicè perfectior, eò est moraliter perfectior in ratione beatitudinis.

XLIX. Probant 3º, uti & P. Poncius, quia non sunt multiplicanda entia sine necessitate; sed nulla prorsus est necessitas multiplicandi gradus heterogeneos, ergo, &c. Sed

L. Contra, qualitas intendi potest per gradus homogeneos & heterogeneos, sive similes, & dissimiles, æquales & inæquales; neque est, ulla omnino necessitas asserendi potius intendi per homogeneos, quàm heterogeneos: ergo, &c. Vbi vides in ipsos aperte probationem retorqueri. Quare aliter

LI. Probatur Resolutio, plures primi gradus qualitatis intense in diversis subjectis sunt homogenei, ut fateri debent adversarii; sed si ponerentur divinitus in eadem parte subjecti, facerent qualitatem intensam, ergo gradus qualitatis intense sunt homogenei: Probatur minor, in qua tantum est difficultas; quia ad intensionem qualitatis solum requiritur, ut plures gradus ejusdem qualitatis, sive similes, sive dissimiles ponantur in eadem parte subjecti, ergo, &c.

LII. Confirmatur, eodem modo agit sol, & eandem lucem producit in passo lucido ut unum, ac in non lucido, sed si agit in passum non lucidum producet lucem ut unum, homogeneam cum luce, quæ præxisteret ut unum, & si agit in passum lucidum ut unum illam intendit, ergo omnes gradus qualitatis intense sunt homogenei. Probatur major; quia seipso determinatus est ad producendum gradum lucis similem illi, qui præxisteret ut unum; nisi à subjecto determinetur ad dissimilem producendum; sed à subjecto ad id non determinatur: ergo, &c. Probatur minor; quia subiectum est indifferens ad recipiendos gradus homogeneos, vel heterogeneos, ergo, &c.

LIII. Objicies primò, si gradus essent homogenei, non posset reddi ratio, cur qualitas intensa sit activior remissa; sed hoc est absurdum, ergo, &c. Probatur major; quia, vel illa major activitas proveniret à gradibus superadditis, vel ab unionem non primum, quia gradus superadditi sunt omnino similes; neque secundum, quia unio non est principium agendi, ergo, &c.

LIV. Respondeo negando majorem, ad ejus probationem Respondeo distinguendo, vel illa major activitas proveniret à gradibus superadditis distributivè, & seorsim sumptis; nego antecedens; à gradibus collectivè sumptis, & ut unitis, concedo antecedens: vis enim unita fortior est seipsa dispersa, ut patet in duobus ignibus, qui fortius agunt conjuncti, quàm separati.

LV. Adde tamen majorem activitatem non provenire à qualitate intensa ut intensa formaliter, sive in eadem parte subjecti; nam centum gra-